



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

De fiducia & autoritate: & quibus modis hæres acquiruntur. cap. xxxiii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A *clesiaste, Noli esse iustus multum.*  
 Quamlibet ad breue tempus irasci quispiam videatur: tamen, si id animi commotione victus facit, stultus est.

*Submota lenitate continentiam ne comprobes. Nam quisquis ita cibo ac potu abstinet, Euagrii. Ut interim tamen temere in iram prorumpat, hic naui mare sulcanti non absimilis est, ac Simue. gubernatorem demonem habenti.*

De fiducia & autoritate: & quibus modis hæ res acquiruntur.

CAP. XXXIII.

B **A**UTHORITATEM sermonibus tribuit principium iustitiæ. *Pro.*  
 Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: 1. 16. 3.  
 & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ placita sunt coram eo, facimus.

*Cum quispiam ita moribus comparatus fuerit, ut à nemine carpi possit, tum, quanta incertis cum autoritate voluerit, eos omnes, quibus præest, vel pœna afficere, vel liberare poterit.*

De vita honesta, & moribus bonis, & obedientia: & quòd, nobis probè atque honestè viuentibus, Deus gloria afficitur, & colitur.

CAP. XXXIIII.

**A**PPARUIT Dominus Abrahamæ, & dixit ei: Ego Deus tuus *Gen. 17.*  
 sum. Ambula coram me, & esto perfectus.

Facito quòd bonum & placitum est coram Domino: ut bene tibi sit.

Nūquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Dñi? Melior est enim obedientia, quàm victima, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum. *1. Reg. 15.*

D Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c? Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Venite, filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Pf. 14. 23. 33. 118.*

Oculi tui recta videant: & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prouide bona coram Deo & hominibus. Qui ambulat immaculatè in iustitia, beatos filios relinquet. *Pro. 4.*

Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum. & timebunt à facie Domini. Reliquiæ Israël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa. *Soph. 3.*

E Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. *Esa. 33.*

Vir, qui hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicia verum fecerit inter virum & virum, in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, & faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, ait Dominus. *Ezech. 18.*

Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. *Sap. 4.*